



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 103. Unde universim colligi possit gravitas vel levitas materiæ & obligationis respectu legum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

663 Q. 103. Unde universim colligi possit gravitas & levitas materiae & obligationis respectu legum. R.

§. I. Aliqui apud Ovied. de pecc. controv. 3. n. 141. putant hoc esse desumendum ex respectu partis ad totum, dicuntque materiam illam esse gravem, quæ est tertia pars illius totius, quod à lege imperatur vel prohibetur, quod autem est minus, esse levem. Hæc regula tenet in aliquibus, sed fallit in plurimis, sic tertium Nocturnum non est tertia pars Matutini Dominicalis, labor servilis per septem horas die festo non est tertia pars diei naturalis, & tamen utrumque est materia gravis respectu præceptorum horas orandi & non laborandi serviliter die festo: è contrà duo Psalmi sunt plus quam tertia pars Sextæ vel Nonæ, & tamen sunt materia levis.

664 §. II. Caramuel dicit octavam partem totius esse materiam gravem, & quod est minus, esse materiam levem, quia, inquit, omne totum tam Physicum quam morale secundum intensionem censetur constare octo partibus, hinc quando dicimus aliquid summum, dicimus ut octo, v. g. ignis est calidus ut octo, homo probus ut octo, ergo quod est pars octava totius, est aliquid notabile in toto, & quod non est pars octava, non est aliquid notabile, quia non est simpliciter pars sed pars partis, pars autem partis est aliquid leve respectu totius. Ex ista regula infert I. Qui omitteret sextam in horis, non peccaturum graviter, quia multi docent omnes horas esse unum officium, cujus pars octava non est sexta. 2. Qui uno voto vovisset milles legere Psalmos penitentiales successivis diebus, peccaturum tantum leviter, si tribus mensibus omitteret, quia 90. dies non sunt octava pars mille dierum. 3. Qui uno voto vovisset abstinentiam à carnibus totâ vitâ, peccaturum tantum leviter, si comederet per nonam partem

tem vitæ. 4. Qui minùs furatur à Titio, quàm sit octava pars redituum, quos omni-die habet Titius, peccare tantùm venialiter, hinc si Titius omni die è bonis & proventibus habeat 100. ducatos, peccaturum tantùm leviter, qui hodie illi furaretur decem, quia non tolleret octavam partem &c Hanc regulam, & quæ ex ea infert *Caram.*, optimè confutat *Carden.* in l. crisi d. 31., nobis sufficiat retulisse, nam per se satis patet falsitas, quam pluribus ostendemus suis locis: hic ista pauca oppono, ergo qui tenetur ad septem Psalmos pœnitentiales, si omittat unicum, peccat mortaliter, quia omittit plus quàm octavam partem; è contrà qui legit 10. folia libri hæretici, absque periculo perversionis, si liber constet 100. foliis, peccat tantùm venialiter; uti & ille, qui Titio debet 100. ducatos, si subducat 10. similia certò falsa deduci possunt in plurimis aliis materiis.

§. III. Ut sciatur, an materia sit gravis vel levis, 665  
debet spectari etiam absolutè, & non præcisè ex respectu ad totum, sed considerari, an in se etiam spectatis omnibus circumstantiis sit vel non sit aliquid notabile, ita communiter Auctores cum *Oried.* n. 143. & *Carden.* suprà, patetque ex dictis; quæ *Conf.* quia licèt communis sententia habeat, quòd ad peccandum graviter in materia Missæ die festo, requiratur ommissio tertiæ partis circiter, tamen etiam in hoc attendi debet ad partes secundùm se, quòd enim partes sunt nobiliores, eò minùs debet omitti, hinc qui tempore utriusque Consecrationis abesset à Missa, non audiisset Missam, ut rectè docent AA. plurimum *Pasq.* de Sacrif. q. 1276. & *Herinx* de peccat. d. 7. n. 48, quamvis spectato tempore nequidem sit pars vigesima.

*Objici* posset; Si supponamus materiam gravem respectu promissionis acceptatæ esse ducatum, si quis

non

non det unicum ducatum, quem promisit, peccat mortaliter: si promiserit 300., & unum subtrahat, non peccat mortaliter, ut nec tum, si promiserit mille, & subtrahat duos, & sic quò majora sunt tota, tantò majorem potest partem subtrahere absque mortali, ergo materia gravis non spectatur absolute sed respectivè à parte ad totum. *R. n. conseq.*, nam admitto considerandas esse circumstantias personarum ac rerum, sic enim dicam de furto, facilius peccari mortaliter furando à paupere quàm à divite, sed tantùm dico suppositis circumstantiis, quæ sæpe involvunt proportionem unius partis ad alteram vel etiam ad totum, materiam considerandam esse etiam secundùm se, & dicendam esse gravem, si secundùm se sit, levem, si secundùm se non sit aliquid notabile, sive sit pars media, sive tertia, sive vigesima totius.

666 §. IV. Aliquid esse vel non esse notabile, & consequenter esse materiam gravem vel levem, colligimus ex uno horum, 1. Ex repugnantia, quam habet, cum natura rationali; quæ repugnantia, an sit gravis an levis, communi prudentum judicio est determinandum. 2. Ex repugnantia gravi vel levi cum charitate in Deum, proximum vel seipsum. 3. Ex S. Scriptura, quæ materiam gravem sæpe denotat, addendo illi comminationem mortis vel damnationis æternæ; item, væ illi, qui facit. 4. Ex verbis legis, quæ sæpe exprimunt obligationem gravem, vel hanc insinuant per gravem pœnam adjectam; de quo tamen videnda sunt, quæ n. 611. & 660. diximus. 5. Ex auctoritate Ecclesiæ vel SS. PP., qui dicunt esse vel non esse obligationem gravem, nam spectat ad providentiam Dei, ut in talibus ad salutem pertinentibus non permittat errare Ecclesiam & commanes ejus DD. 6. Ex communi sensu Theologorum,

gorum, cui se opponere est temerarium, nisi major auctoritas vel ratio evidens cogat. 7. Ex sensu communi hominum timoratorum, etiam simplicium, *Herinx* n. 46., præcipuè quando agitur de jure naturæ, quod hi cordibus suis inscriptum habent, & Spiritu Dei aguntur, ut secundum illud judicent & agant. 8. Ex fine legis vel legislatoris, si enim hic sit magni momenti, & materia aliqua multum conducatur ad illum finem, erit materia gravis; si parum conducatur, aut ipse finis legis sit parvi momenti, erit materia levis: & hanc velut primariam regulam ponunt *Vasq & Sanch.* in Decal. l. I. c. 4., ideoque illam pluribus declarat *Castrop.* d. 2. p. 7. n. 4.

§. V. Materia absolutè levis non substat gravi obligationi. *Ratio* est, quia si ex materia levi non possemus prudenter & certò colligere esse obligationem levem, ubique possemus dubitare de mortali, v. g. non possemus scire, quòd furtum nummi esset veniale, nam omne furtum prohibetur iisdem verbis & eodem præcepto Decalogi, *non furtum facies*; & idem est de aliis materiis, ergo certum esse debet, quòd materia absolutè levis non substat obligationi gravi. Ex quo rectè concludit *Diana* p. 5. tr. 5. R. 50. contra *Fagund.*, rem levem non posse voveri sub mortali; & R. 51. contra *10. Sanch.*, rem levem non posse pro poenitentia imponi sub mortali; consequenter R. 48. dicit, si quid absolutè leve, videatur ab homine imponi sub mortali, esse quidem obligationem, sed tantum sub veniali. *Dixi* I. absolutè levis, nam materia de se levis potest ob circumstantias fieri gravis, uti esus pomi in Adamo ob circumstantiam finis, quia Deus volebat per observationem illius præcepti tanquam per exhibitionem primi homagii recognosci velut Supremus Dominus,

minus, & simul moveri ad totam posteritatem in gratia conservandam. *Dixi 2.* non substat, nam *Io. Poncius* de peccat. d. 22. n. 63. putat Deum absolute posse singulas materias leves graviter prohibere, sed negat *Castrop.* p. 8. n. 2., dicens certum esse oppositum, ideoque innumeros A A. docere materiam absolute levem non esse capacem gravis obligationis: quidquid sit de hoc, saltem videtur verum, quod non possit Deus omnes materias leves graviter prohibere vel præcipere, quia de natura legis est esse in bonum communis, tales autem leges forent in perniciem, & spectatâ conditione fragilitatis humanæ forent irrationabiles & intolerabiles, uti ait *Maurus* de peccat. q. 31. n. 14., exponerent enim continuis & certis periculis æternæ damnationis.

668 §. VI. Probabilius est materiam de se gravem, v. g. jejunium, posse substatere levi obligationi, siue obligatio sit ex præcepto siue ex voto, ita tenent plurimi cum *Castrop.* n. 4. contra *Arrag. Bellarm. Becan. Vasq. Regin. Rhodes* & alios, quibus favet *Volpilius* hic c. 1. a. 4., dicens hanc sententiam, licet non teneatur à multis, tamen esse auctoritate & bonis fundamentis munitam. *Ratio* nostra est, quia talis materia est capax nullius actu obligationis, uti supponitur, ergo etiam solius levis: *Nec obstat*, quod materia gravis non possit substatere legi naturali leviter tantum obliganti, nam obligatio legis naturalis necessariò sequitur ad exigentiam materiæ subjectæ, quæ intrinsecè est talis, ut de se semper vel graviter vel leviter repugnet naturæ rationali & consequenter legi æternæ, hoc non est in aliis materiis indifferentibus, quarum obligatio contingenter pendet à libera voluntate legislatoris, qui non attentâ materiæ secundum se gravitate potest imponere obligationem.

ligationem, vel nullam vel levem, materia enim est capax obligationis gravis, levis vel nullius actu. Plures objectiones videri possunt solutæ apud *Castrop.* n. 5. Quod si certò non constet ex verbis vel circumstantiis, quòd Superior in materia gravi intenderit obligationem tantùm levem, censendus est intendisse gravem, secundùm exigentiam materiæ gravis, cui communiter respondet intentio Superioris.

§. VII. Ex positis fundamentis resolvi debent plurimæ quæstiones in particularibus materiis, de quibus suis locis: hinc addam illationes aliquas, pro quibus alibi non esset commodus locus.

1. Si legislator ob frequentes pugnas prohibuerit noctu gestari arma, si quis per horam gestans obambulet, est materia gravis, ideoque peccat graviter, quia tandiu obambulanti facile occurret occasio rixæ, ergo facit graviter contra finem legis: si autem gestet brevissimo tempore, ubi non est occasio rixæ, peccat tantùm venialiter ob parvitatem materiæ, ita *Bonac. & Castrop. p. 7. n. 4.*

2. Si legislator prohibuerit efferre fruges vel arma ex patria, si quis semel efferat, secundùm *Gran. & alios cum Diana R. 49.* est materia levis, & excusatur à mortali, quod probabile est, quia finis legislatoris erat cavere damnum Reip., ergo cùm semel efferre non causet grave damnum, non erit notabile contra finem legis: esset tamen notabile, inquit *Castrop. n. 5.*, si efferrentur fruges, v. g. pro 100. aureis, aut arma pro instruendis 10 militibus: è contrà alii cum *Sanch. n. 8.* æque probabiliter dicunt etiam semel efferre esse materiam gravem & mortale, quia licèt semel efferre secundùm se non sit damnum grave, est tamen res gravis & meritò graviter prohibita, quia si singulis liceret citra mortale semel efferre, cùm veniale ordinariè parum curetur

tur à cupidis lucri, facile fieret, ut singuli saltem semel efferrent, per quod causaretur notabile damnum Reip., ergo mens legislatoris est etiam unicam vicem prohibere sub mortali, utpote rem gravem, propter circumstantiam pluralitatis alioqui futura.

671 3. Probabilius est, si Religiosus tantum ad horam temerè dimittat suum habitum, esse materiam levem, uti tenent *Sanch.* & alii cum *Diana R.* 61. contra *Suar Castrop.* tr. 16. d. 4. p. 6. n. 11. & alios, qui dicunt esse materiam gravem: *Ratio* nostra est, quia finis legis est, ne sic occultando statum libertè vegetur, intra horam autem non vagabitur longè, ergo præcisè dimittere per horam non est materia gravis, adeoque per se loquendo peccat tantum leviter.

672 4. Si sit mortale, aliquem Sacro Ordine iniciatum non gestare clericalem habitum & tonsuram, (de quo dicitur l. 4. n. 1372.) nihilominus ob commoditatem non gestare habitum ad modicum tempus, nempe ad quatuor aut sex dies, erit tantum levis materia, dummodo habitus, qui assumitur, sit honestus, uti tenent *Panorm. Ang. Tabien. Silv. Sor. Bann. Fill.* & alii; similiter si negligat tonsuram ad sex vel septem dies, erit materia levis, inquit *Quarti* in Rubr. Missæ p. 3. tit. 6. s. 1.; imò putat *Gob.* in Exp. tr. 8. n. 769. parochum non peccaturum mortaliter, qui per sex vel octo septimanas negligeret Coronam; de habitu tamen sentit rigidius.

673 5. Si Monialis egrediatur è clausura, aut alius ingrediatur clausuram Monialium ad duos pedes, & statim redeat, est materia levis, uti rectè *Nald. Grass.* & *Dian. R.* 22. contra *Sanch.* & alios, qui dicunt esse materiã gravem & mortale, nisi maneret in ostio aut pars una corporis maneret intrò vel extra: *Ratio* nostra est, quia finis præcipuus legis est scavere pericula Monialium, & occultare velut mortuas mundo, contra quem



quem finem hic non agitur notabiliter. Vide *Delbene* de Immun. Eccl. c. 19. dub. 53., qui tenet cum *Sanch.* Videri potest *Diana* citatâ p. 5. tr. 5., ubi per 69. Resolutiones, percurrendo plerasque materias, examinat, quandonam materia de se gravis fiat levis, & consequenter mortale fiat veniale ex parvitate materiæ.

## CAPUT II.

674

De subjecto, cui datur Præceptum.

## DUBIUM I.

*Quæ persona præceptis obligentur.*

**R**esp. Soli subditi ratione utentes obligantur, ita <sup>680:681.</sup> ut eorum transgressione peccent; Quod addo, propter ebrios & ad tempus amentes, qui etsi verè <sup>680</sup> iis obligentur, eorum tamen violatione non peccant defectu advertentiæ rationis, & consensûs. Pars prior est communis, & certa, *Fil. tr. 21. cap. II. q. 10. Bonac. p. 6 &c. Laym. l. 1. tr. 4. c. 10.* Posterior est eorundem: Cujus Ratio est; tum, quia præceptum, cum sit directivum, supponit usum rationis: tum, quia obedientia tantum est eorum, qui ratione & voluntate utuntur: Neque aliàs transgressio ad culpam imputari posset. *Vnde resolves hos Casus.*

I. Legislatores non tenentur suis legibus, ut sic, quoad vim coactivam & poenam, sive directè: indirectè tamen, & quoad vim directivam, & ex æquitate quadam, tenentur se tanquam caput membris conformare. Ita *S. Tho. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Syl. Suar. Bon. Lay. cap. 9. contra Azor. Tene-*

Aa 3

tur